

Hīc puer et studiō vēnandī lassus et aestū  
prōcubuit faciemque locī fontemque secūtus,  
415 dumque sitim sēdāre cupit, sitis altera crēvit,  
dumque bibit, vīsae correptus imāgine fōrmae  
spem sine corpore amat, corpus putat esse, quod umbra est.  
Adstupet ipse sibī vultūque inmōtus eōdem  
haeret, ut ē Pariō fōrmātum marmore sīgnum;  
420 spectat humī positus geminum, sua lūmina, sīdus  
et dīgnōs Bacchō, dīgnōs et Apolline crīnēs  
inpūbēsque genās et eburnea colla decusque  
ōris et in niveō mixtum candōre rubōrem,  
cūnctaque mīrātur, quibus est mīrābilis ipse:  
425 sē cupit inprūdēns et, quī probat, ipse probātur,  
dumque petit, petitur, pariterque accendit et ardet.  
Inrita fallācī quotiēns dedit ōscula fontī,  
in mediīs quotiēns vīsum captantia collum  
bracchia mersit aquīs nec sē dēprendit in illīs!  
430 Quid videat, nescit; sed quod videt, ūritur illō,  
atque oculōs īdem, quī dēcipit, incitat error.  
Crēdule, quid frūstrā simulācra fugācia captās?  
Quod petis, est nusquam; quod amās, āvertere, perdēs!  
Ista repercussae, quam cernis, imāginis umbra est:  
435 nīl habet ista suī; tēcum venitque manetque;  
tēcum discēdet, sī tū discēdere possīs!  
Nōn illum Cereris, nōn illum cūra quiētis  
abstrahere inde potest, sed opācā fūsus in herbā  
spectat inexplētō mendācem lūmine fōrmam  
440 perque oculōs perit ipse suōs; paulumque levātus  
ad circumstantēs tendēns sua bracchia silvās  
‘Ecquis, iō silvae, crūdēlius’ inquit ‘amāvit?  
Scītis enim et multīs latebra opportūna fuistis.  
Ecquem, cum vestrae tot agantur saecula vītae,  
445 quī sīc tābuerit, longō meministis in aevō?  
Et placet et videō; sed quod videōque placetque,  
nōn tamen inveniō’ tantus tenet error amantem  
‘quōque magis doleam, nec nōs mare sēparat ingēns  
nec via nec montēs nec clausīs moenia portīs;  
450 exiguā prohibēmur aquā! Cupit ipse tenērī:  
nam quotiēns liquidīs porrēximus ōscula lymphīs,  
hic totiēns ad mē resupīnō nītitur ōre.  
Posse putēs tangī: minimum est, quod amantibus obstat.

Quisquis es, hūc exī! Quid mē, puer ūnice, fallis  
 455 quōve petītus abīs? Certē nec fōrma nec aetās  
 est mea, quam fugiās, et amārunt mē quoque nymphae!  
 Spem mihi nesciō quam vultū prōmittis amīcō,  
 cumque ego porrēxī tibi bracchia, porrigis ultrō,  
 cum rīsī, adrīdēs; lacrimās quoque saepe notāvī  
 460 mē lacrimante tuās; nūtū quoque sīgna remittis  
 et, quantum mōtū fōrmōsī suspicor ōris,  
 verba refers aurēs nōn pervenientia nostrās!  
 Iste ego sum: sēnsī, nec mē mea fallit imāgō;  
 ūror amōre meī: flammās moveōque ferōque.  
 465 Quid faciam? Roger anne rogem? Quid deinde rogābō?  
 Quod cupiō mēcum est: inopem mē cōpia fēcit.  
 Ō utinam ā nostrō sēcēdere corpore possem!  
 Vōtum in amante novum, vellem, quod amāmus, abesset.  
 Iamque dolor vīrēs adimit, nec tempora vītae  
 470 longa meae superant, prīmōque exstinguor in aevō  
 nec mihi mors gravis est positūrō morte dolōrēs,  
 hic, quī dīligitur, vellem diūturnior esset;  
 nunc duo concordēs animā moriēmur in ūnā.  
 Dīxit et ad faciem rediit male sānus eandem  
 475 et lacrimīs turbāvit aquās, obscūraque mōtō  
 reddita fōrma lacū est; quam cum vīdisset abīre,  
 ‘Quō refugis? Remanē nec mē, crūdēlis, amantem  
 dēsere!’ clāmāvit; ‘Liceat, quod tangere nōn est,  
 adspicere et miserō praebēre alimenta furōrī!’  
 480 Dumque dolet, summā vestem dēdūxit ab ōrā  
 nūdaque marmoreīs percussit pectora palmīs.  
 Pectora traxērunt roseum percussa rubōrem,  
 nōn aliter quam pōma solent, quae candida parte,  
 parte rubent, aut ut variīs solet ūva racēmīs  
 485 dūcere purpureum nōndum mātūra colōrem.  
 Quae simul adspexit liquefactā rūsus in undā,  
 nōn tulit ulterius, sed ut intābēscere flāvae  
 īgne levī cērae mātūfīnaeque pruīnae  
 sōle tepente solent, sīc attenuātus amōre  
 490 līquitur et tēctō paulātīm carpitur īgnī;  
 et neque iam color est mixtō candōre rubōri,  
 nec vigor et vīrēs et quae modo vīsa placēbant,  
 nec corpus remanet, quondam quod amāverat Ēchō.